

Konrad Grebel<sup>1)</sup> an Vadian.*Paris. 1520. Januar 14.*

Seine Rückkehr nach Paris. Klagen über den Vater und Rechtfertigungsversuche gegen dessen Beschwerden. Über die Geldbezüge des Vaters aus Frankreich. Ungewisse Zeit seiner Heimkehr.

Salve, mi Vadiane. Literas tumultuarias eunti iam Henrico Lingio Schafhu(siano) non præmonitus<sup>a)</sup> dedi; eas an acceperis, rescire tum demum potero, cum ternis nostris post nuptiales tuas responsonem deris. Postrema longas, ipsa quidem brevis nuncii culpa, promisit; an his satisfaciam, videto. Ego, miserabilis fortunę vulneribus saucius, me totum medico tibi aperiam. Lutetiam redii, a qua pestem hiems<sup>b)</sup> pepulit; Glareani lares nihil illi obstrictus, honesto sodalities usus, incolo. Retuli hoc non frustra; noveris enim hinc tutiori loco quam prius morari. Pecunia illa tanta, quam discedens a patria habui, omnem ventri, libris, vestibus dedi; sed fortunę ac dissidiis reddidi, nisi mavis sponte ad instabilem datricem Tolosani<sup>2)</sup> auri rediisse. Scripseram itaque parenti, ne me, perdita zona in angustias coniectum, mittendis aliis adiutaret. Fecit ille, quod sperabam: viginti scutatos celeri regio cum literis credidit, ut ad me mitteret. Literas quidem, non etiam pecuniam miser accepi. Ecce calamitosum hominem, Iunone nimirum noverca quarta luna natum! Qua enim intercedente iussu paterno in patriam redire potuissem, ille abutitur pecunia. Patris literas, quas Septembris decima quarta scripserat, vix tandem Ianuarii nona die accepi; iubet prava socios, qui me bis in discrimina summa pecunię et vitę coniecerint, relinquam, ne, tercio in eandem foveam præcipitatus<sup>a)</sup>, patrem erga me exuere cogatur nec inde manu iuvatrice extrahere. Honesti erant et probi adolescentes, qui me Vienne<sup>a)</sup> in eos fluctus induxerunt, quos vix dextra non in totum recisa vi-

tavi; honesti itidem sunt, qui me in secundum atque adeo tunc capitis periculum irretiverunt. Scies olim quomodo. Ergo quod ille et pravæ sodalitati, quæ nulla est, et mihi, cuius ea malorum culpa non tota est, imputat, id ego velim, ille mea fata cognosciturus aliquando in diffortunium reiicere discat. Hæc ex genitoris scriptis tibi repetii. Nunc quid Myconius meus, sed tuus etiam, nunciet, audi. Patrem (inquit) dolere, quod ultra honestatem aliquid patrasse me timeat et, quum adeo anxie timeat, insomnes misere ducere noctes. Qui si facta mea nosset melius, trabe illius sinente ad festucas meas Tiresias<sup>d)</sup> futurus nimirum esset. Hæc tecum loquor, Ioachime, ob id, quod unus Vadianum, virum undique doctum, Harpocratem, sororium denique agas. Trabem ad Lucernam equites ituri noscere cœpisti<sup>e)</sup>. Male me audire credit ob bellum illud inter nos et latrones; ego vero nihil audio, nedum male; et quoties eius mentio incidit, non est erubescendum et mox mille conscientię testibus pectora corrodenda præbere opus. Liber est animus hic, nullas contumelias timens. Sed quid eius culpa patiar, prius Cæsari, postea regi Gallo alendus traditus, nescit. Si enim parvo et parto vivere docuisset, hoc est paterno more, — spero enim nihil munerum prohibitorum iurato ab illo Iove etiam lapide accepisse —, et pennas nido non maiores extendere me voluisset, (quamvis id de altero suo filio non minus statuatur, ut in nido trabi affixo frater pennas vulturis extendat), non audirem publice et a tergo male; non timerem, quoties, qui patrię parentes esse volunt, proditoribus male imprecantur, ne et patrem — vix enim me possunt — inter eos comprehendere se putent, ob id credentes forsitan, et ipsum quoque pensione regia ditescere, quum id filius agat. Qui sermones cum grassantur, non modo rubore suffunderer, non modo pallerem, non equites aurati aliive *semper* patrem meum Gallorum regis partes fovere dicerent, non morderer, non quemlibet conscium rei crederem, ut multi certe sunt, etsi hoc parens lævo Harpocrate celare nitatur, tanto rerum usu ignorans, tempus, immo ipsam diem cuncta revelare. Nihil de reddendo cogitandum esset, non ederent cor curarum vultures, non servus essem pecunię, et si illi iuxta adagium omnia obedirent, non libertatem auro, non famam bonam forsitan vili metallo vendidissem, non nomen pretiosius gemmis et regum munusculis saltem me perdidisse arbitrarer, non animam ipsam ob hoc facinus nescio cui deberem, non omnium miseriarum generi obiicerer, si Delphicum hoc aurum non rapuissem Tolosæ, quod me, si ausim dicere

- sex -  
centi

- aut

solum, ut præter id nihil, ærumnis enecat, quippe quod non minus sacrum deo sit, quam Tolosanum illud, quod dixi. Populi divitias rex exsugit<sup>f)</sup>, et cibum lupus ex ore eius rapit, quo me splendide adornem, lautissime epuler; et olim si respublica in dignitatis fastigia et honorum evehat, nescio ad quid non faciendum compelleret. Non Helveticam libertatem proscriptissem a me, toties tot dominorum iam factus servus. Sed ut libere, quod sentio, dicam, prudenter parum egit parens, quod huius iterum regii stipendii accipiendi causa fuit; ego vero segnius accipiendo prudentior, quam ille non mature dando, mihi ipse videor. Dices nimirum in re parva magnos tumultus ciere, nihili hæc faciens argumenta vel ob id, quod iam nemo non vel undique et ab omni semper rapiat, vel quod consuetudo legem prope induxerit rapiendi. Quod si se ita habet, crede me non idem animo versare et quod *mihi* nemo avellere nec ipsa quidem facultia posset. Secutus sum opes, inops factus sum; multa fortuna recipit, multa ipse consumo; mustela capsam macer subii; iam pinguis aliquantum, si diis placet, factus non iterum egredi e carcere, ni, quod edi, rursus evomam, potero. Intellexisti utriusque causam; tu vide, quem damnationis thetha notare debeat. — Nunc vero hæc missa faciemus, et quæ Myconius monuerit, referemus. Patrem non tuis, non eius quoque precibus tantum tribuere velle iratum refert, quin, si e Gallia redirem, non irasceret vehementer; quin etiam, si tunc ad Tigurinos pervenissem, non paternas eides intrandas fuisse censuisset. Cum ergo tam inhospitalis futurus sit pater, nescirem plane, an e Gallia alio concedendum esset, et si pecuniam suppeditaret quispiam non modicam. Verum si ille vocaret, quidni venirem? Sunt, qui suadeant illi, ne diutius me vitam trahere hic sinat, vel ob hæc ipsa, quod non minus in me sævitura sit pestis quam pater, nec ille minus quam illa; pavent illi, quicumque<sup>g)</sup> illi sunt, ut tempora mea et fortuna vellent me perire miserum misere. Quos quidem procul dubio animus et vota non fallent; nam sive me parens evocaturus sit, sive non, et hic pestilentię ad veris initium tepidioris rediturę falce metendus, adero, et quicquid illic non vitassem, hic perpressurus sum et e converso idem sensurus.

Quando ergo me expectare debeas, non temere dixero. Quid si non iterum pateret in Helvetiam egressus, quid si mortem obiturus, quid me functo fieret, nihil curaturus essem; mortem namque etsi non vocem, non tamen exhorreo, si veniat ad Christum præparato, cui tot contigerunt

- inde

T

s. l.

præter ea, quæ dixi, ut nulla ratione a diis longiorem vitam precari possem. Credis iterum forsitan nihil esse, ob quod merito querulus sim. Calceum, puto, vides me gerere lunatum et perbellum; sed ubi me mollis pellis premat, hoc non etiam introspicis. Tu si oppugnatum patrem expugnaveris et ab ira deieceris ad misericordiam, qua dignior etiam hosti iam dudum eram commoturus, magnum eximes animo scrupulum; si minus efficies, quod voles, ferenda est omnis fortuna, omnes Dirę Furięque. Veniam e periculo mortis in aliud, non minus ab exilio in exilium; solabitur me hoc unum, quod promisisti hospitalitatis munus; exclusum, ubi non debueram, tu suscipies. Ride ad hæc omnia, quod facies, aut literis graviter culpa; non potui promissis pariter stare et aliud, quam esset in animo, nugari. Nihil est, quod ultra te scire velim, quam tuum me, præterea nihil esse, literas has nec alias minus caute serva. Tuos parentes, si e pago patruī mei ad eos reversus<sup>b)</sup> es, sive tecum sint cum sororibus et coniuge tua, salvere iubeto nec committito, si me amas, quin paternum animum et quid loquatur super me, quid de me audierit, Myconii mei more proximis literis exponas. Vale, virorum charissime, perquam feliciter<sup>b)</sup> et me, ut soles, ama. Lutetiæ, decimaquarta Ianuarii, anni MDXX.

*Conradus Grebelius*, tuum mancipium.

Leopoldus meus, non illum Viennensem agens, deinde et Petrus Scudus, ut te salutem eorum nomine, orarunt.

Viro incomparabiliter docto humanoque, medico, poetæ et oratori, Ioachimo Vadiano, sororio suo perquam colendissimo.  
Gen Zürich.

a) Durchwegs „e“ für „æ“. — b) „hyems“. — c) „Hac“. — d) „Tyreseas“. — e) „cepisti“. — f) „exugit“. — g) „quicquunque“ (?). — h) „redersus“. — i) „fœliciter“.

l) Vrgl. I, Register. — 2) Cic. nat. deor. III. 30, 74.